

2846.

1331 d. 6 Maj.

Sigtuna.

PETER GREGERSSON testamenterar till Predikarebrödernas kloster i Sigtuna, der han väljer sin graf, en häst om 30 marks värde och 5 mark penningar för 2 messor i veckan under det lopande året; gifver gäfvor till andra kloster, kyrkor och enskilda.

Orig. på perg. i K. Riks-Arch.

Jn Nomine domini Amen. Ego PETRUS GREGORISSON licet infirmus corpore sanus tamen mente, de bonis meis mihi a deo collatis testamentum meum facio et ordino in hunc modum, Jn primis fratribus predictoribus sictunie apud quos mei corporis eligo sepulturam. do et lego, vnum equum meliorem, quem habeo valentem videlicet circa triginta marchas denariorum. Jtem eisdem fratribus quinque marchas denar. pro quibus singulis septimanis in anno iam currenti, duas missas, vnam die lune pro defunctis aliam in sabbato de beata virgine, dicere teneantur, Jtem pauperibus tres marchas denar. Jtem cuilibet ecclesie parochiali sictunie dimidiam marcham denar. Jtem pro fabrica ecclesie cathedralis vpsalie vnam marcham denar., Fratribus minoribus ibidem duas marchas denar. Ecclesie beate virginis ibidem vnam marcham denar. et aliam ecclesie sancti petri, Domui sancti spiritus ibidem dimidiam marcham denar. Jtem fratribus minoribus stokholmis. duas marchas denar. Ecclesie parochiali ibidem dimidiam marcham denar. Domui sancti spiritus ibidem dimidiam marcham denar. Jtem fratribus minoribus enicopie vnam marcham denar. Hospitali ibidem dimidiam marcham denar. Jtem ecclesie býrklingy. vnam marcham denar. Jtem ecclesie ræsbohwndari vnam marcham denar. Ecclesie ræsbokyl. dimidiam marcham denar. Jtem. dilectis famulis meis Olawo et petro cuilibet vnum equum, de octo marchis. Jtem volo quod omnes res mee que in vsu cottidiano mihi erant inter eosdem olawm videlicet et petrum, equaliter diuidantur. Jtem fratribus meis germanis predilectis omnia et singula arma mea, Exequatores huius mei testamenti ac voluntatis extreme constituo honestos viros videlicet dominum styrbenum(!) thorstenson auunculum meum, æringislum andrisson generum meum, thorstanum styrbyornæson iohannem Olawm et gregorium fratres ipsius vna cum matre mea, prediecta. rogans et monens eosdem in domino vt in premissis omnibus meis compleant voluntatem. Quorum insuper sigillis hanc meam ordinacionem et testamentum peto roborari, Datum et Actum sictunie Anno domini Millesimo. CCC°. XXX. primo. Secunda, die rogacionum.

Sigillen: N:o 1, 4, 5, 6 (alla med spets från sköldens venstra sida) skadade; N:o 2, 3, 7 borta; remarna qvar.